



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Bibliotheca Rhetorum**

In quo Causae Forenses, Liber Epistolarum, Liber Fabularum, Et  
Oratiunculae

**Le Jay, Gabriel François**

**Ingolstadij, 1726**

Aristo pro recuperata valetudine.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71049](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71049)

## ARISTO

*Pro recuperatâ Valetudine.*

## Gratulabunda.

**N**ihil ego jam vereor, Ariste mi, fateri palam  
 timorem meum, & tibi ipsi magnitudinem  
 periculi, quod tecum adivimus, aperire. At  
 utrumque ex difficili morbo recreatus abstulisti:  
 tantumque nobis gaudium vix sperata incolumi-  
 tas attulit, quantum omnibus dolorem mali gra-  
 vitas pepererat. Quanquam gratulare tibi, vel  
 quod ad angustias tam graves deveneris. Equi-  
 dem eximiam omnium in te observantiam, fidem,  
 benevolentiam sanus ac valens expertus eras; at  
 singularis pietas ac necessitudo, quâ tibi unum-  
 quemque devinxisti, tum maximè patuit, cum  
 salus tua maximè periclitaretur. Videbantur sin-  
 guli perferentescere, quodcumque affixus ipse lecto-  
 sentiebas; & morbi vel ingravescentis vis ac gra-  
 vitas, vel ejusdem senescentis remissio amicorum  
 in vultu legebatur. Noli igitur mirari, si tam no-  
 bis ipsis, quàm tibi restitutum te priori valetudini  
 gratulamur; qui unâ tecum visi sumus ex longâ  
 ægritudine convalescere. Depulisti momento  
 metus nostros, curas, sollicitudines; & hilarita-  
 tem quandam singularem injecisti. Nunc vide  
 sis, quanto studio valetudini tuæ consulere debeas,  
 ex quâ tot hominum valetudo pendeat. Cave ne  
 injuriosior nobis ipsis, quàm tibi videâre, si con-  
 tentione nimia, & susceptis præter modum labo-  
 ribus novum in discrimen salutem adduxeris. A-  
 gitur non tua tantum sed Reipublicæ totius inco-  
 lumitas;

luminas; neque peccare quidquam gravius tuam in salutem potes, quin eodem tempore in commune bonum pecces. Vale ergo & vive, si nos vivere & valere volueris.

A M I C O P O E T Æ,

*Ut susceptum narrandi res à Gallis præclare posteriore bello gestas consilium exequatur.*

Ad Hortandum.

**O**ptimè facis, quòd res à Gallis posteriore bello gestas paras scribere. Nam quæ tam recens, tam copiosa, tam ampla, quæ denique tam poëtica, & quanquam in verissimis rebus, tam fabulosa materia? Dices immissa terris nova flumina, novos pontes fluminibus injectos, occupata castris montiù abrupta, expugnatas arces, subactas provincias, & quæ naturâ, ut vinci possent, non habebant, collectas totius Europæ vires ab unâ gente superatas. Una sed maxima difficultas, quòd hæc æquare dicendo oporteat; arduum quiddam, immensum etiam ingenio tuo, quamvis altissimè assurgat, & amplissimis operibus increseat. Sed nihil est quod arte, studio, labore vinci demum non possit. Proinde jure vatium, invocatis Dijs, & inter Deos, ipso, cujus res, opera, consilia dicturus es, immitte rudentes, pande vela, ac, si quando aliàs, toto ingenio vehere. Cur enim non ego poëticè cum Poëta? Illud jam nunc paciscor: prima quæque, ut absolveris, mitte; imò antequam etiam ab-  
solvas,